

quem voluntarie elegerint, audeat iudicare, et si ab ipsorum iudice conquerentibus satisfieri non poterit iudex eorum in nostram presenciam et non alias, super ipsa causa citatus debeat et teneatur respondere, et si ipsi alias coram iudice quemquam impeterent super aliquo, eis iudicetur iuramentum. Statuimus eciam, quod si banus eis ad valorem unius marce dampnum faceret, in centuplo restitueret eisdem, tamen bano non aliud, nisi domos suas occasione descensus dare teneantur, pro aliis uero necessariis precium recipiant, et si aliquis ipsorum prole caruerit, tam ipso uiuente, quam ab hoc seculo transmigrante, bona sua cuicunque uoluerit libere conferat retinenda; et si aliquis de villa super equo vel boue calumpniaretur ab aliquo, pro quanto sacramentum facere presumpserit, sibi calumpnias testibus astantibus restituat, et res pro qua causabatur ad requirentem euoluatur; et si quis ipsam villam intrare uoluerit moraturus, omnia bona sua, domos suas et alia que possidet, omnibus scientibus liberam habeat vendendi facultatem, et recedens de villa retineat eandem. Et statuimus, ut sacerdotem quemcunque uoluerint, in suam recipiant ecclesiam, de decimis eorum, prout mos est hospitibus ubicunque manentibus disponentes. Terram autem Gurgus et terram Waratuk sine herede decedencium, et eciam terram cruciferrorum, quam in concambio habuimus, que vulgo Haaco et Potok uocatur, metis distinctis undique eisdem conferentes, quarum mete quemadmodum ab andrea homine nostro ad hoc dato, referente, percepimus sunt hec: prima meta incipit a meridionali parte de duobus quercis, inde descendit ad puteum et inde descendit per aquam putei in fluuium Dragun, et inde superius tendit ad viam magnam, et per eandem vadit usque ad arborem qui sclauonice dicitur Ozkurus, inde per vallem superius ad uineas de Dobuk, inde per magnam uiam ducit ad arborem castane, et per semita ducit in longitudine montis, usque ubi descendit subtus piscinam, inde ascendit usque ad tres metas et inde inferius in Petrinam, et sic per fluuium Petrine ascendit usque ad fluuium Belypotok, et per eundem ascendit per magnam uiam antiquam in Damasingran (sic) et inde inferius ueniendo ascendit ad arborem piri, et inde in montem, et per eundem uenit in uiam que exit de Blyna (sic) et per illam inferius in precopam, et inde uenit in metam terream, et inde subtus Strizichy, transeundo quandam aquam, peruenit in quandam arborem piri, et inde uadit in Cochiam et inde ad caput eiusdem, et inde supra montem uadit in uiam, que ducit in Rauna, ibique supradictarum terrarum mete terminantur. Preterea cum ipsam villam hospitibus omnimode cupiamus pluribus ampliari, terram etiam Kenesepola nomine integraliter, saluis uidelicet populis ibidem existentibus, cum porcione vooy et generacionis ipsius, nec non et filiorum alpetri, qui de propria voluntate eorum, eundem seruicium quod et hospites suscepunt, terris iam dictorum hospitum nostrorum adiunximus usui eorum et illorum statuentes possidendam, preter Zolnam. Nec hoc tamen sub silencio uoluimus preterire, quod predicti hospites nostri nobis annuatim pro collecta centum pensas et pro tributo fori triginta pensas soluere tenentur, et similiter predicta terra Kenesepola centum pensas. Et ut hec talis a nobis concessa libertas in dubium ulterius non possit reuocari, consensu et consilio omnium Jobagionum nostrorum, uidelicet Nicolay bani, ac magistri Towarnicorum, Demetrii magistri dapiferorum et comitis de Budrug, Arnoldi comitis de Symigio, Martini comitis de Zala, et aliorum, litteras nostras sigilli nostri munimine roboratas dare concessimus. Datum per magistrum Fyle, dilectum ac fidelem nostrum prepositum